NUMISMATA

ALIQUOT SICULA.

Digitized by Google

Digitized by Google

NUMISMATA

ALIQUOT SICULA

NUNC PRIMUM

A MARCHIONE HENRICO FORCELLA

EDITA.

NEAPOLI
ANGELUS TRANI IMPRIMEBAT.

MDCCCXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCO PRIMO

REGNI UTRIUSQUE SICILIAE REGI

HENRICUS FORCELLA

SACRA REGIA MAJESTAS

Ex quo, clementissime Rex, praediorum, quae ad delicias in

Digitized by Google

Siciliae coluntur regionibus, rerumque omnium, quae illic agi jubes, honorificentissimam mihi curam committere tibi placuit, id omne quod in me esset, vitaeque meae rationes, meque ipsum ita comparandum putavi, ut si non pro tua dignitate, quod maxime ex animo esset, pro mea tamen facultate, in meo explendo officio, tantoque munere obeundo constanter perstiterim. Ex praedulcibus interea, cultissimisque tuis colloquiis Antiquitatum, bonarumque Artium studia summopere te excoluisse

Digitized by Google

sensi. Hoc maximum mihi incitamentum fuit, ut iisdem quae a primis usque annis degustaveram studiis, quaeque tam dulcia expertus fueram, diligentiorem operam dederim. Praecipue vero Siciliae antiqua Numismata veluti venustatis specimen praeferentia, oculos meos allexerunt, eorumque satis amplum pro diversis civitatibus numerum congessi. Quum aliquot autem nondum cognita sors mihi obtulerit, operae praetium duxi in lucem ea proferre, ut harum rerum amatoribus gratificer. Quemad-

Digitized by Google

modum vero non modo arbor, sed et quos gignit fructus domino debentur, eorumque vel unus gravi sine injuria subripi nequit, ita meum hoc quodcumque sit opus, ad te, optime Rex, pertinet. Tua insuper erga me benignitas haud dubiam mihi adfert spem, quin hoc miti animo excipias, et veluti nunc primitias paucarum frugum, ita me Deus amet, ampliorem tibi segetem in posterum dicabo.

Digitized by Google

ERYCINORUM.

Tab. I. Fig. 1.

Qui primus hic conspicitur pulcerrimus numus et infrequens ad Erycinorum Urbem, Veneris cultu celeberrimam, pertinet. Fronte una sedeculae assidens cernitur Venus, quae dexteram columbae veluti avolanti supponit; adstans Cupido sinistra matris vestem tenet, dextraque ad ipsius brachium porrecta, eam intuetur quasi columbam sibi deposcens. Legitur praeterea populi nomen EPYKINON. Auriga ex adverso, cui Victoria obviam ad-

Digitized by Google

volat, et coronam protendit, binas singulis manibus habenas pertractans, citatas agit equorum quadrigas. Spicarum manipulus infra jacet.

Digitized by Google

ERYCINORUM ALTER.

Tab. I. *Fig.* 2.

Mulier stans turrito capite, et dextra super aram porrecta, florum serta tenens, inducit in animum ut credam ipsam urbem Erycem esse, Veneri, quae apud suos cives maximo quidem est habita cultu, sacra per flores, eidem fieri solita, procurantem. Inscriptum legitur ΕΡΥΚΙΝΟΝ. Adversa fronte canis capite pronus, veluti si aliquid odore prosequatur, venaticus videtur esse, et forsan ad illa nemorosa loca significanda expressus, quod etiam

hederae ramus, qui supra cernitur, ut mea fert opinio, suadet.

GELAE.

Tab. I. Fig. 3.

Aureus Gelae Numus, quem tertium ordine exhibet haec tabula, magnitudine primum ab aliis Gelae aureis numis haud parum differt. Una praeterea fronte caput ostentat muliebre eleganter comptum, cum inscriptione ΣΩΣΙΠΟΛΙΣ. In altera non dimidiatum ut assolet semibovis viri corpus, sed miles equo insidens, et telum laeva gerens conspicitur, veluti in illis qui semibovem exhibent virum.

GELAE ALTER.

Tab. I. Fig. 4.

In altero hic exhibito Gelae aureo numo inscriptio civitatis nomen denotans aliquid et novitatis, et momenti obfert, minimeque hac de causa reticendum putavi. Caput scite comptum mulieris, Dianae epitheto ΣΩΣΙΠΟΛΙΣ velut in aliis apposito, in ipso spectatur. Sed ex adverso, ubi dimidiatum equi corpus extat, legitur insuper ΓΕΛ, quod ne tantulum quidem dubitare facit, quin ille aureus Gelae numus huic similis, a clarissimo Castello in se-

cundo auctario editus, ad Gelam Urbem revera pertineat.

HIERONIS II.

Tab. I. Fig. 5.

Nullus argenteus numus, praeter illum a Paruta relatum, ad Hieronem II. Syracusanorum Regem pertinens, adhuc editus est. Hunc etiam nemo vidit unquam; et Paruta ipse insuper parvulum eumdem, et inscriptione carentem obfert. Unus apud me servatur hujus Regis Numus majoris moduli, qui pulchritudine spectandus est: legitur nomen ΙΕΡΩΝΟΣ. Aeque ac in aeneis senile conspicitur caput Hieronis diademate vinctum; atque ex adverso tridens duobus delphinis interpositus.

SEGESTANORUM.

Tab. II. Fig. 1.

Ad Segestam sive Egestam Urbem, quae aliquando quoque Sagesta appellabatur, hic pertinet Argenteus Numus. Incurvus in eo cernitur vir nudus, tantummodo calceatus, e cujus capite retro decidit cassis: dextram is femori adjungit; laeva arcum tenet, atque e sinistro ipsius brachio linteum pendet. Haec quidem, et duo ante viri pedes Venatici canes, quorum unus quasi odorans effingitur, satis demonstrant venatorem virum esse;

nec longe absum ut credam Acestem ipsius Urbis conditorem indicari, qui vitam primum traduxit in Sylvis venationi deditus, prout ex Virgilio cognoscere licet. Herma insuper adpingitur, similis illis, quos ad agrorum fines, vel ad januas aedium, vel circa sepulcra, gymnasia, et xystos, ad ornatum erigere mos erat. Denique legitur populi nomen ΑΙΓΕΣΤΑΙΩΝ. Ex adverso mulier vestibus eleganter induta, et compto capite, spicarum manipulum dextera tenens, equorum bigas laeva moderatur. In ima parte apposita est inscriptio ΣΕΓΕΣΤΑΤ, quae in aliis ejusdem civitatis numis legitur

ΣΕΓΕΣΤΑΤΙΒ; et aliquando quoque ΣΕΓΕΣΤΑΖΙΒ. Quae sit ultimarum trium literarum significatio ΤΙΒ, sive ΖΙΒ minime constat, et adhuc sub judice lis est.

HIERONYMI.

Tab. II. Fig. 2.

Belle spicis exornatum caput Cereris, pone quod cernitur et arista, demonstrat hic Hieronymi Syracusarum Regis Numus. Effingitur ex adverso alatum fulmen, et inscriptio ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ legitur. In medio hae duae extant literae ΣΑ, quas initium putarem verbi ΣΩΤΕΙΡΑ Dianae urbis servatricis epitheton, quod etiam in aliis ejusdem civitatis numis, quamquam effigies ipsius Deae non fuerit expressa, modo integrum, modo duabus

tantum primis literis significatur. Hoc initium ΣΑ Dorice esse censeo pro ΣΩ mutato Ω in Α, quod Syracusanorum dialecto speciatim usitatum erat; nisi potius credere velimus, primam atque ultimam literam esse ejusdem verbi ΣΩΤΕΙΡΑ.

HIERONYMI ALTER.

Tab. II. *Fig.* 3.

Alter Hieronymi aureus numus pulcrum obfert caput mulieris nullo ornatu distinctum. Extat in alia parte fulmen alatum, veluti in caeteris eiusdem Regis numis. Inscriptio ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΛΛ Σ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ profecto mihi legenda esse videtur ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΛΑΟΥ ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ.

THERMITANORUM.

Tab. II. Fig. 4.

Argenteus Numus, ad Thermas Himerensium pertinens, caput depingit mulieris Thermarum sive Himerae civitatis genium adumbrans, murali cinctum corona, quam tres affabre exornant anseres. Legitur etiam populi nomen ΘΕΡΜΙΤΑΝ, et piscis pone caput conspicitur. Ex adverso Hercules clavam dextera tenens Nemaei leonis exuviis insidet, quibus et innititur laeva; arcusque columnae implexus ac revinctus a tergo extat.

THERMITANORUM ALIUS.

Tab. II. Fig. 5.

Nil a proximo hic Thermitanorum argenteus Numus, nisi aliquantulum modulo, differt, nam illo minor est. Multum tamen distant magnitudine ab ipso alii duo, qui hactenus detecti erant argentei hujus civitatis parvuli Numi. Praeterea quamquam in caeteris cum hoc conveniant, arcum tamen pone caput pro pisce, qui hic cernitur, habent.

HIERONIS I.

Tab. III. Fig. 1.

Quanta apud veteres fuerit Graecos, maximeque illos, qui Siciliam incolebant, bonarum artium eximia perfectio, mirabile hic Hieronis primi argenteus numus specimen praefert, quo nullus alius huc usque pulchritudine spectantior apparuit, neque ars ipsa excogitare posse videtur. Juvenile in eo conspicitur caput Hieronis diademate cinctum; ac ita nitide venusteque exculptum est, ut molles comae, placide intuentes oculi, spirans

os, vividus vultus omnis appareat, majestatemque ipsam regiam prae se ferat. Extat pone caput bidens, citatae ex adverso quadrigae a Victoria aguntur, equosque in cursum effusos ad metam properare videres. Stella desuper exculpta est. Inter equorum pedes cernitur K, magnisque literis inscriptio ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΙΕΡΩΝΟΣ legitur. Quamquam duos argenteos numos a Castello editos in multis huic assimilare potes, valde tamen illi differunt magnitudine, nam quem praebeo maximi est moduli. In illorum altero praeterea ex ore victoriae in altum porrecta inscriptio ΒΑΣΙΛΕΩΣ legitur ve-

luti si ab ipsa nomen Regis, ut coelum peteret, victoris proferatur: hae duae literae ΥΕ ante equos effinguntur: in ipso sidus non invenitur, dum in altero, ubi sidus superne, inscriptio deest ΒΑΣΙΛΕΩΣ, et tantum infra ΙΕΡΟΝΟΣ legitur: 70 Κ, quod in eo est, ut et inscriptionis literae, minoris sunt magnitudinis. Quid sentirem de sidere, de litera Κ sub equis, deque bidenti pone caput Hieronis, quae ad hujus regis virtutes significandas apposita esse videntur, haud praetereundum putavi.

Ac primum omnium satis constat, Hieronem Dinomenis filium, cognomi-

ne Aetneum, qui Geloni fratri Syracusanorum imperio successit, bis quadrigis, et semel caelite equo Pythiis certaminibus vicisse, quum Pindarus tria carmina, ut illius celebraret victorias, pronuntiaverit (1). Quumque in plurimos ejusdem poetae versus inciderim, quibus gesta in certamine vincentium τὰ καλὰ vel καλὰ ἔργα (2), quin immo victoria ipsa, quam illi non sine magno ante exantlato labore obtinuerunt, τὰ καλὰ (3) absolute, et καλλίνικον (4), ab eodem poeta vocaretur; quumque illam oleae speciem, qua solum victores coronabantur, καλλιστέφανον Graeci appellassent; mihi venit in mentem,

ad hujus verbi initium τὸ Κ referre, quasi in Hieronis laudem ad metam properantis ex ore Ελλανοδίκων, vel a faventium multitudine, vox καλὸν aut καλλίνικον, ad decus victoriae exprimendum, inter plausus fuerit iterata.

Sidus quadrigis imminens Castoris equorum domitoris signum esse censeo (5), quod ad Hieronis victoriam significandam valeret. Bidens denique, qui pone caput videtur, rusticum quidem instrumentum, mihi suasit ut crederem, Hieronem rei agrariae fautorem hoc modo indicari: praesertim quum apud auctores inter alia hujus Regis praeclara ingenii exempla habea-

mus culturam agrorum plurimum ei cordi fuisse, ita ut de ea scripserit, et leges speciatim promulgaverit (6). Haec ego de Hieronis numo, quae dicerem; his an assentiendum, nec ne, judicent eruditi.

DIONYSII.

Tab. III. *Fig.* 2.

Dionysii Primi Syracusanorum Regis Argenteus Numus, quem referre censui, palmae arborem, cum binis ipsius fructuum racemis dependentibus, ostendit, et aliquot subter phoenicii alphabeti elementa. Dimidiatum exhibet, ex alia parte, equi corpus, cujus caput a victoria coronatur.

Numis ejusdem Regis, qui a Gabriele Castello editi sunt, et modulo et figuris hic convenit, sed vasa, quae subter equum phoeniciis literis inter-

posita se se obferunt, cum in aliis desint, permagnam huic numo aestimationem adjungunt, et ad ea vasa, quae, vel ut palmas continerent, vel ad ornatum metis adjiciebantur, referri posse mihi videntur.

CATANENSIUM.

Tab. III. *Fig.* 3.

Caput senis cornu ad aurem adposito ex una facie profert argenteus nummulus ad Catanam pertinens, qui tertius hic cernitur. Ex alia vero bos cornu petens eximia arte caelatus est, supra quem populi nomen legitur ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ.

SEGESTANORUM ALTER.

Tab. III. Fig. 4.

Segestanorum est hic Numus, ut inscriptio denotat; muliebre caput comis superne revinctis, canis leporem devorans ex adverso, et granum hordei desuper, novum quid ita componunt, ut singularem reddant hunc numum; atque si venustatis insuper, quae maxima est, rationem habeas, nulli fere inter pulcriores hujus civitatis numos secundus reperietur.

ENNENSIUM.

Tab. III. *Fig.* 5.

Omnia Ennensium numismata usque adhuc detecta non sunt nisi aenea. Extat nunc primum penes me argenteus hujus civitatis numus, qui ordine quintus hac refertur in tabula. Caput habet expressum Cereris spicis redimitum, cum epigraphe ΔΑΜΑΤΗΡ, quae Dea praecipue ab illis civibus colebatur, prout ex plurimis veterum testimoniis satis comperitur. Recisum, ex alia parte, effingitur Vaccae caput, sterilis quidem, ut putare est, quo sa-

crum quoddam in Proserpinae honorem a veteribus procurabatur. Hordei granum, quod supra inter cornua cernitur, spicarumque manipulus infra jacens, fertilitatem Ennensis agri haud dubie demonstrare videntur, quae quidem in uno ex ejusdem civitatis aeneis numis ab Aratro quoque denotatur. Fax inde, quae subter manipulum adpingitur, facem profert illam, qua in Aetnae ignibus incensa, Cererem amissam filiam, a Plutone in campis Ennensibus raptam, per universum terrae orbem diu quaesisse poetae fabulabantur.

ADNOTATIONES.

---

(1) Pind. Pyth. I. II. III.

(2) . . . Τὸ δ' ἐν ποδὶ μοι
Ἴτω τρέχον τεὸν χρέος, ὦ παῖ,
Νεάτατον καλὸν, ἐμᾶ ποτα-
νὸν ἀμφὶ μαχανᾶ.

Quod vero ante pedes mihi est, procedat currens tuum debitum, o fili, recentissimum praeclarorum *gestorum* meam volatile circa artem.

Pyth. VIII. v. 44 et seqq.

Idem

Ὁ δὲ καλόν τι νέον λαχών,
Ἀβρότατος ἐπὶ
Μεγάλας ἐξ ἐλπίδος πέταται
Ὑποπτέροις ἀνο-
ρέαις, ἔχων χρέσσονα κλοῦτον
Μέριμναν

Qui vero decus aliquod recens nactus est magnam ob felicitatem, *quae* ex voto *obtigit*, evolat alta virtute, habens praestantiorum fructum divitiarum.

Pith. VIII. v. 126.

Idem

Ἀοιδοὶ καὶ λόγιοι τὰ καλὰ
Σφιν ἔργα ἐκόμισαν

Poetae et Prosae scriptores praeclara ipsorum facinora jam extulerunt.

Nem. VI. v. 51 *et* 52.

Idem

Ἔργοις δὲ καλοῖς ἐσο-
πτρον ἱσαμεν ἐνὶ σὺν τρόπῳ
Εἰ Μνημοσύνας ἑκατι λιπαράμπυκος
Εὕρηται τις ἀποινὰ μόχθων
Κλυταῖς ἐπέων ἀοιδαῖς

Factisque praeclaris speculum *contingere* novimus unico modo, si Mnemosines voluntate

splendide-vittatae invenerit aliquis praemia laborum inclytis carminum cantibus.

Nem. VII. v. 20 et seqq.

(3) Pind.

Ἔσταν δ' ἐπ' αὐλείαις θύραις
Ἀνδρὸς φιλοξείνου καλὰ μελπόμενος.

Steti autem ad aulicas fores viri hospitalis praeclara, *idest*, *victoriam* canens.

Nem. I. v. 29.

(4)

. . . . . κα-
ματωδέων δὲ πλαγᾶν
Λύκος ὑγιηρὸν ἐν
Βαθυπεδίῳ Νεμέᾳ
Τὸ καλλίνικον φέρει.

Laboriosarum autem plagarum levamen salubre in fertili Nemaea pulcra victoria affert.

Nem. III. v. 27 et seqq.

(5) Κάστορα δ' ἱππόδαμον.

Castorem equorum domitorem.

Homer. Il. lib. 3 *v.* 237.

(6) Etsi quae Cicero, Varro, et Plinius de Hieronis legibus, et scriptis de re rustica, dixere, secundo potius Hieroni aliquos eruditos tribuisse non ignorem, nihil tamen ab illorum auctorum locis, quod ad Hieronem secundum pro certo referatur, deprehendi posse videtur; et quae illi scripserunt, si non meae (quod aliquibus etiam placet), neutri tamen sententiae favere certum est; quae vero de Columella habemus lib. 1. cap. 18. 8. *Siculi quoque non mediocri cura negotium istud* (idest de cultu agrorum) *prosecuti sunt, Hiero, et Epicharmus discipulus, Philometor et Attilus* clare nos monent de Hierone majori Gelonis fratre sermonem esse; nam ante Epicharmum de eo

fit mentio, quae res dum nullo pacto Hieroni secundo convenire potest, cujus imperium anno IV. Olimpiadis centesimae vigesimae septimae initium habuit, perfecte congruit Hieroni majori, nam ipse septuagesimae quintae Olimpiadis anno quarto regnum adeptus, anno obiit secundo Olimpiadis septuagesimae octavae, idque circa tempus, Olimpiade videlicet septuagesima quarta, teste Diogene Laertio, Epicharmus florebat. Quod si Hiero secundus legem scripserit, ex qua inter Aratores et Decumanos judicia fierent, quaeque inde lex Hieronica appellata sit, non ideo nihil Hieronem primum de Agrorum cultura, et de legibus agrariis dictasse sentiendum est.

TAB. I.







BIBLIOTECA NAZIONALE
NAPOLI

Digitized by Google

TAB. II.





NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. III.

BIBLIOTECA NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google